



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Parthenivs Ep. 7. Februarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

classici instar habuit. Itaque cū manē Deorum signa è suo larario obtulisset Imp. velut adoraturus hæc in adyta abstulit. Ibi ille & Iovis fulmen, & Martis Palladisq̄ue hastas, & Veneris faces Cupidinisq̄ue arcus omnibus gigantibus fortior solus fregit, & quia aurea erant omnia aut argentea, ridiculos Deos pauperum prædam fecit. Hi cū ulcisci non possent ipsi sese, Licinius & se, & illos ulturus, in crucem agit THEODORVM, ferro transadigit. Inde puerile agmen sagittis suis scopum geminum, geminum Divi oculum accipit. Sed reddidit hos ocello suo Angelus, & è cruce exsolvit. Mox ad gladium damnatur. Hunc ubi forti jugulo exceperit, rude Superi donarunt. *Ex Metaphr.*

*Si dignum Dominus pati duxit, pati servum quomodo videtur indignum? Erramus, erramus: qui non facit quod iussit Dominus, gratis sperat, quod Dominus promissit. S. Pet. Chryl. serm. 28.*

S. PARTHENIVS EP. 7. Februarij.

**P**VER PARTHENIVS piscatum exercuit, & lucrum pauperibus cessit. Sed neque piscator desit esse Sacerdos & Pontifex inaugurator, nisi quòd prædam jam nobiliorem (animos) Deo transcriberet. Porro Stygi jam inde ab anno octavo decimo fuit metuendus. Et profectò vix aliis fuit, qui sæpius orcum expugnavit; ut quocumque jam pedem suum ferre PARTHENIVM, inde referre suum malum dæmonem cerneret, etiam è sedibus, quas olim & multas infederat. Et fortè eum ex homine nescio quo proscriptum ibat, cū mitius aliquantum inferno exilium, porcorum corpora hic rogavit. Plus etiam indulsit PARTHENIVS, & si hoc modò cederet, hospitium alterum in homine

mine ostensurum se appromisit. Ille verò in has leges lubens lætusque migravit, fidemque mox pacti fœderis exegit. Hic PARTHENIVS potestatem sui facturum, aperto oris ostio hospitem invitavit. Nec tulit modestiam superbus, abiit potiùs ad veteres lares patriaque regna, inferos. Iam verò edita vaticinia, excitæ lacrimis pluvix, messis in agro sterili, novæ in deploratâ jam vineâ, redditi sedibus suis oculi, pulsi morbi, & reducti ad vitam mortui librum non pagellam in libro desiderant. Omnia tamen hæc vel oleo fecit sacro, vel aquâ, vel sale, ex quo si vel micam haberent hæretici, non equidem hæc riderent *Ex Surio.*

*Quando moriuntur virtutes, vivunt vitia: illa militant adversus militem Christi; ista sunt Sathana cohortes, ista Diaboli legiones, ista sunt que Mundum sepulchris obsederunt; debellarunt populos, vastarunt gentes, orbem duxere captivum. S. Pet. Chryl. serm. 12.*

S. MARINA. V. 8. Februarij.

**M**ulierem sub togâ, imò virum sub mulieris simulachro ostendimus. Rectè dixeris, sive MARINAM, sive MARINVM dixeris. Nam MARINÆ quidem nomen parens dedit, cum nata est, ubi verò ad Asceterium secum abduxit, cum veste nomen viri indidit, iussitque MARINVM esse, metamorphosin cælo ridente. Patre ergo magistro Asceticen edocta, hoc mortuo, ægerrimè scilicet orco fecit; cum mulier improba vela virili veste repelleret, & per sanctissimam larvam cæcum puerum Amorem rideret, unica virgo tot inter viros jam tutior quàm inter virginum nuper choros. Nempe ubi vulneri locus non est, invidia est. Cum vitium virgini non posset hostis facere, fecit